



UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE

CLASSICAL TRIPOS Part IA

Thursday 7 June 2007 9 to 12

Paper 3

PASSAGES FOR TRANSLATION FROM LATIN AUTHORS

Translate all the passages.

The examiners will give equal weight to each Section.

It is important to write good English.

Use a separate booklet for each Section.

*Write your **number** (not your name) on the cover-sheet of each Section booklet.*

Candidates who do not write legibly may find themselves at a grave disadvantage.

STATIONERY REQUIREMENTS

20 Page Booklets x 2

Rough Work Pad x 1

Tags

SPECIAL REQUIREMENTS

None

You may not start to read the questions printed on the subsequent pages of this question paper until instructed that you may do so by the Invigilator

SECTION A

Translate:

A1 homo enim uidelicet timidus aut etiam permodestus uocem consulis ferre non potuit; simul atque ire in exilium iussus est, paruit. quin hesterno die, cum domi meae paene interfectus essem, senatum in aedem Iouis Statoris conuocaui, rem omnem ad patres conscriptos detuli. quo cum Catilina uenisset, quis eum senator appellauit, quis salutauit, quis denique ita aspexit ut perditum ciuem ac non potius ut importunissimum hostem? quin etiam principes eius ordinis partem illam subselliorum ad quam ille accesserat nudam atque inanem reliquerunt. hic ego uehemens ille consul qui uerbo ciuis in exilium eicio quaesiui a Catilina in nocturno conuentu ad M. Laecam fuisset necne. cum ille homo audacissimus conscientia conuictus primo reticuisset, patefeci cetera: quid ea nocte egisset, ubi fuisset, quid in proximam constituisset, quem ad modum esset ei ratio totius belli descripta edocui.

CICERO *In Catilinam* II 12–13

A2 sed quae sunt rerum primordia, nulla potest uis 485
 stinguere; nam solido uincunt ea corpore demum.
 etsi difficile esse uidetur credere quicquam
 in rebus solido reperiri corpore posse.
 transit enim fulmen caeli per saepta domorum,
 clamor ut ac uoces; ferrum candescit in igni 490
 dissiliuntque fero feruenti saxa uapore;
 cum labefactatus rigor auri soluitur aestu,
 tum glacies aeris flamma deuicta liquescit;
 permanat calor argentum penetrabileque frigus,
 quando utrumque manu retinentes pocula rite 495
 sensimus infuso lympharum rore superne.
 usque adeo in rebus solidi nil esse uidetur.
 sed quia uera tamen ratio naturaque rerum
 cogit, ades, paucis dum uersibus expediamus
 esse ea quae solido atque aeterno corpore constant, 500
 semina quae rerum primordiaque esse docemus,
 unde omnis rerum nunc constet summa creata.

LUCRETIVS I 485–502

A3

Turnus, ut ante uolans tardum praecesserat agmen
 uiginti lectis equitum comitatus et urbi
 improuisus adest, maculis quem Thracius albis
 portat equus cristaque tegit galea aurea rubra, 50
 'ecquis erit mecum, iuuenes, qui primus in hostem — ?
 en,' ait et iaculum attorquens emittet in auras,
 principium pugnae, et campo sese arduus infert.
 clamorem excipiunt socii fremituque sequuntur
 horrisono; Teucrum mirantur inertia corda, 55
 non aequo dare se campo, non obuia ferre
 arma uiros, sed castra fouere. huc turbidus atque huc
 lustrat equo muros aditumque per auia quaerit.
 ac ueluti pleno lupus insidiatus ouili
 cum fremit ad caulas uentos perpessus et imbris 60
 nocte super media; tuti sub matribus agni
 balatum exercent, ille asper et improbus ira
 saeuit in absentis, collecta fatigat edendi
 ex longo rabies et siccae sanguine fauces:
 haud aliter Rutulo muros et castra tuenti 65
 ignescunt irae; duris dolor ossibus ardet.

VIRGIL *Aeneid* IX 47–66

[TURN OVER

SECTION B

Translate:

- B1** *A discussion of omens and portents leads Cicero to recall that the Spartans received divine warnings before their defeat at the battle of Leuctra.*

eademque tempestate multis signis Lacedaemoniis Leuctricae pugnae calamitas denuntiabatur. namque et Lysandri, qui Lacedaemoniorum clarissimus fuerat, statuae, quae Delphis stabat, in capite corona subito exstitit ex asperis herbis et agrestibus; stellaeque aureae, quae Delphis erant a Lacedaemoniis positae post naualem illam uictoriam Lysandri, qua Athenienses conciderunt, qua in pugna quia Castor et Pollux cum Lacedaemoniorum classe uisi esse dicebantur. eorum insignia deorum, stellae aureae, quas dixi, Delphis positae paulo ante Leuctricam pugnam deciderunt, neque repertae sunt. maximum uero illud portentum isdem Spartiatis fuit, quod, cum oraculum ab Ioue Dodonaeo petiuissent de uictoria sciscitantes legatique uas illud in quo inerant sortes collocauissent, simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat, et sortes ipsas et cetera, quae erant ad sortem parata, disturbauit et aliud alio dissipauit. tum ea, quae proposita erat oraculo, sacerdos dixisse dicitur de salute Lacedaemoniis esse non de uictoria cogitandum.

CICERO, *De Diuinatione* I 75–6

<i>Iuppiter Dodonaeus</i>	=	'Jupiter at Dodona'
<i>sciscitor, -ari</i>	=	'to investigate' (dep.)
<i>simia</i>	=	'monkey' (fem.)
<i>Molossi</i>	=	'Molossians' (i.e. people of Epirus)
<i>sacerdos</i>	=	(fem.)

B2 Ovid thanks a not-so-close friend for remaining loyal in difficult circumstances.

usus amicitiae tecum mihi paruus, ut illam
 non aegre posses dissimulare, fuit,
 nec me complexus uinclis propioribus esses
 naue mea uento, forsan, eunte suo.
 ut cecidi cunctique metu fugere ruinam,
 uersaque amicitiae terga dedere meae,
 ausus es igne Iouis percussum tangere corpus
 et deploratae limen adire domus:
 idque recens praestas nec longo cognitus usu,
 quod ueterum misero uix duo tresue mihi.
 uidi ego confusos uultus uisosque notauī,
 osque madens fletu pallidiusque meo:
 et lacrimas cernens in singula uerba cadentes
 ore meo lacrimas, auribus illa bibi;
 brachiaque accepi presso pendentia collo,
 et singultatis oscula mixta sonis.
 sum quoque, care, tuis defensus uiribus absens
 (scis carum ueri nominis esse loco),
 multaque praeterea manifesti signa fauoris
 pectoribus teneo non abitura meis.

OVID, *Tristia* III 5.1–20.

<i>singultatis ...sonis</i>	=	'with the sound of your sobbing'
<i>deploro, -are</i>	=	'to weep violently, to lament'
<i>praesto, -are</i>	=	'to be responsible for, to perform'

END OF PAPER